Actum in Curia Regia Bransensi Sabbatho post festum Sancti Egidij Abbatis proximo. Anno Dni Millmo Sexcentesimo Quadragesimo Sexto.

inter M. Lesnowolski Capitaneum Bransen. Et G. Skinski Notarium C. B. Intercisae Roboratio.

Coram officio et Actis praesentibus Castren. Capitan. Bransen. pers. comparentes Magnificus Franciscus Joannes Lesnowolsky Bransensis Capitaneus qui in locum Officij sui quo ad eum Actum tantum attinet Generosum Christophorum Dzierzek subdelegavit ab una. Et Generosus Joannes Skinsky Notarius Castren. Bransen. qui etiam in locum Officij sui quo ad eum Actum tantum attinet Nobilem Anselmum Szablowsky subdelegavit. partibus ex altera Sani mentibus et corporibus existentes palam publice ac libere recognoverunt et quilibet eorum suo pro interesse recognovit. Quia ipsi Intercisam certam inter se ratione certarum Conditionum de data in Bransko die hodierna id est Quarta Septembris anni praesentis confectam Manibus suis subscriptam Vadio Centum Millium Floren. Polon. firmatam in Omnibus eiusdem Intercisae Punctis et conditionibus approbant confirmant et ratificant Itaque Omnia in praefata intercisa expressa quidem ipsi recognoscentes tam in toto quam in quavis minima parte tenere complere exequi et inviolabiliter observare se de Omnibus bonis cum successoribus suis submittunt et inscribunt sub Vadio Centum Millium Floren. Polon. in defectu alicuius Conditionis per partem aliquam explendae ad solvendum irremissibiliter succumbendo. Et Coram officio Castren. Capitan. Drohicien. in primo Citationis Termino peremptorie ad responsione et satisfactione Omnibus Controversijs exceptionibus allegationibus evasionibus ampliationibus et mutationibus dilationibus quibuscunque Motionibus appellationibus ac earum prosequutionibus alijsque in Universum iuris remedijs et defensis legalibus impedimentis etiam de iure concessibilibus se et suos successores ab abscribendo et abrenunciando sub amissione sui succumbendo successionem totius et integrae causae.